

posthac nulli externo imperatori, regi, principi, aut praelato, nec Romano pontifici, quem papam vocant, fidelitatem et obedientiam, verbo vel scripto, simpliciter, vel sub juramento promittam, aut dabo, vel dari curabo, sed omni tempore, casu, et conditione partes vestrae regiae majestatis, ac successorum vestrorum sequar, et observabo, et pro virili defendam contra omnem hominem, quem vestrae majestati, aut successoribus vestris adversarium cognoscam, vel suspicabor; solique vestrae regiae majestati, velut supremo meo principi, fidelitatem et obedientiam sincere et ex animo praestabo. Papatum Romanum non esse a Deo in S. literis ordinatum profiteor, sed humanitus traditum firmiter assero, et palam declaro, ac declarabo, et ut alii sic publicent, diligenter curabo. Nec tractatum cum quocunque mortalium privatim aut publice inibo, aut consentiam, quod pontifex Romanus aliquam auctoritatem vel jurisdictionem amplius hic habeat, aut exerceat, aut ad ullam posthac restituatur. Ipsumque Romanum episcopatum modernum, aut ejus in illo episcopatu successorem quemcunque, non papam, non summum pontificem, non universalem episcopum, nec sanctissimum dominum, sed solum Romanum episcopum, et fratrem (ut priscis episcopis mos erat) scienter, publice asseram; juraque hujus regni municipalia pro extirpatione et sublacione papatus, et auctoritatis ac jurisdictionis dicti Romani episcopi, quandocunque edita et sancita, pro viribus, scientia, et ingenio meo, ipse firmiter observabo, et ab aliis sic observari, quantum in me fuerit, curabo atque efficiam. Nec posthac ad dictum Romanum episcopum appellabo, aut appellanti consentiam; nec in ejus curia pro jure aut justitia agam, aut agenti respondebo, nec ibidem accusatoris vel rei personam sustinebo. Et si quid dictus episcopus per nuncium vel per literas mihi significaverit (qualecunque id fuerit) illud, quam citissime commode potero, aut

vestrae regiae majestati, aut vestris a secretis consiliariis, aut vestris successoribus, seu eorum a secretis consiliariis significabo, aut significari faciam; ipseque literas aut nuncium ad eundem Romanum episcopum, nec ad ejus curiam mittam, aut mitti faciam, nisi vestra majestate conscia et consentiente, aut vestro successore, quod dictae literae vel nuncius ad ipsum deferatur. Bullas, brevia, aut rescripta quaecunque pro me, vel aliis ab episcopo Romano, vel ejus curia non impetrabo, vel ut talia a quovis impetrentur, non consulam; et si talia pro me infcio aut ignorante, generaliter vel specialiter impetrabuntur, aut alias quomolibet concedentur, eis renuntiabo, et non consentiam, nec utar eisdem ullo modo, et eas vestrae majestati aut successoribus tradi curabo. Praeterea, in vim pacti profiteor et promitto, ac in verbo pontificio spondeo, quod contra hanc meam praedictam professionem, et sponsonem nulla dispensatione, nulla exceptione, nullo juris vel facti remedio me tuebor, durante mea vita naturali; et si quam protestationem in praesudicium hujus meae professionis et sponsonis feci, eam in praesens, et in omne tempus futurum revoco, et eidem renuncio, per praesentes literas, quibus meum proprium et episcopatus mei nomen propria manu subscripsi, et sigillum meum majus apposui, in fidem perpetuam et testimonium praescriptorum. Dat. 27. die mensis Februarii, anno Dom. M. D. XXXIV. et regni dicti illustrissimi dom. nostri regis Henrici octavi vicesimo sexto, praesentibus tunc ibidem discretis viris, magistris Georgio Lee, in decretis, et Willielmo Ducket, in legibus bacalareis, Dunelm. et Lincoln. respective dioecesi. testibus ad praemissa vocatis, rogatis, et specialiter requisitis.

Per me Rolandum, Coventr. et Lichfeld.  
episcopum.

Papae Rom.  
PAULI III. I.

Archiep. Cant.  
THO. CRANMER 2.

Anno Christi  
1534.

Reg. Angliae  
HENRIC. VIII. 26.

*Synodus provincialis Eboracensis.* Ex reg. Lee Ebor. fol. 88.

**V**IRTUTE brevis regii haec synodus die quinto mensis Maii coacta, sententiam determinationis suae adversus suprematum papae per certificarium archiepiscopi, domino regi misit: "Illustrissimo et excellentissimo principi et domino dom. Henrico VIII. Dei gratia Angliae et Franciae regi, fidei defensori, et domino Hiberniae, Edwardus, permissione divina Ebor. archiepiscopus, Angliae primas et metropolitanus, salutem in eo, per quem reges regnant, et principes dominantur. Vestrae regiae celsitudini tenore praesentium innotescimus et significamus, quod cum juxta vestrae regiae majestatis mandatum cum praelatis et clero Ebor. provinciae, in sacra synodo provinciali sive convocacione praelatorum et cleri ejusdem provinciae Ebor. in domo capitulari ecclesiae metropolitanae Ebor. 5. die mensis Maii, A. D. M. D. XXXIV. jam instanti celebrata, et de diebus

in dies continuata, congregatis, proposita fuit sequens conclusio, "Quod episcopus Romanus in sacris Scripturis non habet aliquam majorem jurisdictionem in regno Angliae, quam quivis alius externus episcopus;" ac insuper ex parte praesidentium in eadem synodo per vos deputatorum, memorati praelati et clerus rogati, et requisiti, ut illam conclusionem suo consensu confirmarent et corroborarent, si illam veritati consonam, et sacris Scripturis non repugnantem existimarent, aut judicarent; tandem dicti praelati et clerus Ebor. provinciae antedictae, post diligentem tractatum in ea parte habitum, ac maturam deliberationem, unanimiter et concorditer, nemine eorum discrepante, praedictam conclusionem fuisse et esse veram asserunt, et eidem concorditer consenserunt. Quae omnia et singula vestrae regiae celsitudini tenore praesentium intimamus.

In